

20th Sunday after Pentecost – John 4: 46-53

IN illo témpore: Erat quidam régulus, cujus fílius infirmabátur Caphárnaum. Hic cum audísset, quia Jesus adveníret a Judæa in Galilæam, ábiit ad eum: et rogábat eum ut descénderet et sanáret fílium ejus: incipiébat enim mori. Dixit ergo Jesus ad eum: Nisi signa, et prodígia vidéritis, non créditis. Dicit ad eum régulus: Dómine, descénde priúsqvam moriétur fílius meus. Dicit ei Jesus: Vade fílius tuus vivit. Crédidit homo sermóni, quem

dixit ei Jesus, et ibat. Jam autem eo

descendéntem, servi occurrérunt eí, et nuntiavérunt

dicéntes, quíà fílius ejus víveret. Interrogábat ergo

horam ab eis, in qua mélius habúerit. Et dixerunt

ei: Quia heri hora séptima reliquit eum febris.

Cognóvit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit

ei Jesus: Fílius tuus vivit: et crédidit ipse, et domus

ejus tota.